



**Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica**

Ab Anno Christi 1312 Usque Ad Annum 1351

**Fleury, Claude**

**August. Vind. [u.a.], 1767**

**VD18 9011826X**

§. 13. Promissa Ludovici Bav. rejiciuntur.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66305](#)

**Secul. XIV.**  
A.C. 1330.

§. XIII.

*Promissa Ludovici Bavari rejiciuntur.*

**L**udovicus agebat Monachii in Bavaria, ubi sustinere semper imperatorm dignitatem suam volebat, apud se habens Michaëlem Cæsenatem, & Jacobum Albertinum Episcopum Venetum, qui se dicebat Cardinalem, & commentitii Papæ Nicolai V Legatum in Germania. Tum Otto Dux Austræ, Johannes Luxemburgius Rex Bohemiæ, ac ejus patruus Balduinus Trevirensis Archiepiscopus Ludovico reconciliare Papam conabantur: ad quem propterea Legatos mittebant cum epistola scripta pridie Pentecostes 26 Maji. Ludovicus spondebat fore, ut relinqueret Antipapam; retexeret suam ad Concilium appellacionem cum factis contra Papam, & se merito proscriptum agnosceret; sed ea conditione, ut maneret Imperator. Papa Bohemiæ Regi sic respondit: Ecclesiæ nec prodest, nec convenit Imperator iuste condemnatus ut fautor hæreticorum, ac hæreticus ipse, receptor Marsilius Pavolini, & Joannis Janduni, ac etiamnum fovens Michaëlem Cæsenatem, Guilielnum Ocamum, & Bonagrati Bergomatem

**n. 28.**

**n. 34.**

**n. 30.**

matem rebelles Fratres Minores. Quo-Sæcul. XIV.  
modo talis Imperator posset religionem A. C. 1330.  
protegere, & quale subditis præberet ex-  
emplum?

Offert se ad exauthorandum Antipa-  
pam suum. Sed hoc est offerre nihil :  
quia, etiamsi esset Imperator verus, hæc  
abdicatio ad eum non pertineret. Ad-  
hæc Petrus Corbarius falso se munere  
suo jam abdicavit ipse, quod nuper ad  
nos sua perscripsit manu. Nimurum Pa-  
pa hæc scribebat postrema Julii, ante-  
quam Petrus abierat Pisis. Epistola con-  
tinuatur: Offert se ad omittendam pro-  
vocationem suam. Sed incassum appel-  
lat hæreticus, & a Papa quidem, quo  
superior est nemo. Denique clavum Im-  
perii servare dum vult, monstrat se non  
duci poenitentia, & quod consequitur, ab-  
solutione indignum esse. Sed præterea  
quo titulo gubernacula Imperii porro tra-  
ctare cupit? Num ex jure jam possesto,  
aut ex acquirendo novo? Nunc habet  
nullum, quia per sui damnationem per-  
didit illud, quod habebat forsitan: ac ne-  
quit obtinere novum, quia eligi non  
potest, ut tyrannus, sacrilegus, & proscri-  
ptus. Papa concludit litteras exhortan-  
do Regem Bohemiæ, ut Imperatorem a-  
lium cooptandum curet.

Cum Rex denuo instaret Ludovici  
Bavari causa; Papa 21 Sept. iterum re-  
B b 3 scribens,

n. 31.

n. 32.

n. 33.

Sæcul.XIV. scribens, ingratum erga Supremam Se-  
A.C. 1330. dem animum ei sic exprobrabat: In gra-

<sup>n. 37.</sup>  
*Sup. lib. 91.* tiam antecessoris nostri pater tuus e-  
*J. 22. §. 30.* vectus est ad dignitatem imperatoriam.  
*I. 92. §. 1.* Reapſe vidimus, quantum contulerit Cle-  
mens V ad electionem Henrici Luxem-  
burgii. Continuantur litteræ: Atque

*Rayn. n. 38.* idem Papa Trevirensse ad solium promo-  
vit illius fratrem, tuum patruum et si per  
ætatem ac doctrinam tum non idoneum  
fatis. Hæc Papæ confessio memorabi-  
lis est. Demum minitatur Regi, se o-  
missurum laxamenta legum, aliasque er-  
*J. Vill. l. 10.* ga ipsum gratias, nisi deserat partes Lu-  
*c. 170.* dovici Bavari. At his Papæ monitis  
neglectis Rex Bohemiæ hoc anno in Ita-  
liam consentiente Ludovico venit ut Vi-  
carius Imperii.

## §. XIV.

### *Henricus Busmanus Moguntinus Archiepiscopus.*

*Rayn. 1329.* **B**alduinus Luxemburgius Archiepisco-  
pus Trevirensis tunc erat Germaniæ  
Præfulum potentissimus, utpote tres diœ-  
ceses præter suam administrans. Cum  
<sup>n. 73.</sup> Matthæus Moguntinus Archiepiscopus  
*Trith. Chr.* 10 Sept. 1328 e vita demigrasset, Papa  
*Hirſ. an. 1328* huic sedi providere voluit, cuius collatio-  
nem sibi reservaverat propter bella Ger-  
maniæ.